



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Pastorum Continens Doctrinas, & Industrias ad Pastorale
Munus piè, fructuosè, ac securè obeundum pertinentes,
Unà cum Casibus frequentius circa idem Officium
occurrere solitis, & ex communiote ...**

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1678

Capvt II. De Mediis à Pastore adhibendis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49267](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49267)

Pfal. 113. usurpet: *Non nobis Domine, sed nomini tuo da gloriam; quem in finem proderit saluberrimum Christi monitum in memoriam revocasse: Cum feceritis omnia, qua precepta sunt vobis, dicite: servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus.* Luc. 17.

Qu. 2. *Quare Pastor tantopere dicta resignationi studere debeat?* R. ob triplicem fructum, quem ei affert; quorum primus est *Spes* fructus etiam inexpectati secuturi; ut enim Rusticus ille, qui omnem à DEO tempestatem tranquillo animo accepit, & optimam duxit, quam DEO permittere placuit, optimos semper in agris suis fructus habere meruit; ita idem quoque Beneficium ob similem resignationem Pastor sperare poterit. Secundus, *Magna animi tranquillitas*; quia, ut bene Thomas Kemp. l. 3. c. 11. in persona Christi dixit: *Si ego sum in causa, bene contentus eris, quomodocunque ordinavero*: tunc nimirum imperabit iterum Christus ventis & fluctibus curarum ac sollicitudinum in anima concitata-rum, & erit tranquillitas magna. Tertius est, *Invicta inter difficultates Constantia*: cum enim inconstantia & tedium inter labores potissimum ex nimio fructus ex iisdem reparandi desiderio oriatur, facile inter eiusmodi difficultates immobilis & invictus permanebit, qui tale desiderium ad Divinæ dispositionis rectissimam normam moderari, atque componere studuerit.

CAPUT II.

DE MEDIIS A PASTORE
ADHIBENDIS.

Varia sunt media, quæ adhiberi possunt à Pastore ad finem suum obtinendum; alia enim sunt intrinseca, alia extrinseca; alia corporalia, alia spiritualia; alia positive disponunt, & juvant ad finem, alia negative tantum, quatenus scilicet varia pericula vel impedimenta remouent. De singulis hoc capite aliquid breviter dicendum.

§. I.

De Medijs Spiritualibus.

Qu. 1. *Qua media spiritualia à Pastore adhibenda sint?* R. sequen-

requentia præcipue. Primò, *Studium Orationis avidissimum*.
 Secundò, *Studium mortificationis continuum*. Tertiò, *Stu-*
dium humilitatis necessarium.

Qu. 2. *Quare Orationem tantopere amare & frequentari*
debeat? R. ob sequentes causas. Primò, ob summam ne-
 cessitatem: si enim omne datum optimum, & omne donum per-
 fectum deorsum est à Patre luminum, neque aliter, nisi per
 orationem obtineri potest, uti B. Virgo olim revelavit, fac-
 ilè apparet, eam tantò magis necessariam esse Pastori, quantò
 majoribus auxiliis & gratiis indiget ad munus suum fructuo-
 sè obeundum: Unde rectè Augustinus l. 4. de doct. Chri-
 c. 15. dixit: *Munus suum ut præbet, magis opus est Oratione*
quam Oratoris facultate; ut orando pro se & pro illis, quibus
allocuturus, sit Orator antè, quàm Dictor. Secundò, ob sum-
 mam utilitatem, quam habet ad efficaciam laboribus Pastori
 tribuendam: cum enim juxta testimonium Apostoli, ipse quod
 dem Pastor plantare, & rigare valeat, incrementum autem
 DEUS det; hoc autem incrementum per orationem, sive
 formalem, sive virtuales, id est, actiones virtuosas obtinet
 potissimum debeat, meritò inferitur, orationis studio Pasto-
 rem plus, quàm alijs laboribus & medijs effecturum, ut beatus
 S. Bernardus Ep. 101. advertit, dicens: *Nunc autem manent*
tria hæc, Verbum, Exemplum, Oratio: maior autem horum O-
ratio. ea namque Operi & Voci gratiam & efficaciam promove-
tur. Tertiò, ob summam iucunditatem, si enim, ut Liber-
 tus de imitatione Christi ait, *ideo tam libenter loquimur, &*
invicem fabulamur, quia per mutuas locutiones ab invicem
consolari querimus, & cor diversis cogitationibus fatigatum
relevare: Quidni Pastor tot curis & laboribus gravatus, si-
 mile solatium quærat? ubi autem melius & sincerius, quàm
 per locutionem cum DEO inveniat? de hoc videlicet dicit
 illud Christi dictum Matth. 11. applicare potest: *Venite ad*
me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.
 Hinc ipse etiam Christus Discipulis suis hoc refrigerium per
 æstu laborum suavit, Marc. 6. *Venite in desertum locum, & re-*
quiescite pauillum; sed & ipse S. David hoc medio usum
 fuisse pro respiratione, testatus est Psal. 118. *Os meum aperui*
(utique per orationem) & attraxi Spiritum: Atque hæc videri
 licet sunt tres efficacissimæ causæ, quæ facilè persuadere possunt

sunt Pastori, ut summum semper Orationis desiderium excitet, & conservet. Certè id ipsum non modò Christus (dum & Pastoris officium suscepturus per 40. dies continuos priùs Orationi vacavit, & idem munus Apostolis commissurus decem dies in eodem Orationis exercitio occupari voluit) sed alij etiam Zelosissimi quique Pastores exemplo suo docuerunt, utpote, quos constat tantò magis Orationi addictos fuisse, quantò magis in obeundo veri Pastoris munere excelluerunt, ut adeò meritò huc quadrare videatur verissimum illud S. Augustini hom. 40. effatum: *Rectè novit vivere (& Pastoris officium gerere) qui rectè novit orare.*

Qu. 3. *Quare mortificatio tantopere necessaria sit Pastori?*
 R. ob tres causas. Primò, ut fructuosè munere suo fungatur, cum enim ad fructum hunc procurandum tria potissimum media, nempe Exemplum, Verbum & Oratio sint necessaria, ut paulò antè ex S. Bernardo dictum, facile apparet, non posse Pastorem optatum ex suis functionibus fructum sperare, nisi in mortificationis studio priùs fuerit bene exercitatus, & malè ordinatas animi affectiones moderari, amorèque proprium subjugare didicerit. Hinc Christus Luc. 14. Apostolis ad Pastoris officium vocatis, mox ab initio dixit, *qui non renuntiat omnibus*, id est, omnem inordinatam affectionem erga res creatas, & se ipsum exuit, ac deponit, *non potest meus esse discipulus*, ut adeò verè dixerit S. Paulus Gal. 5. *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum concupiscentiis suis*; sic enim, ut palmites bene putati eidem Christo velut Viti uniri merebuntur, multùmque fructum facient. Secundò, ut securè munere suo fungatur; nam, ut egregiè S. Chrysostomus l. de Sacerd. ostendit, *in medio civitatum, nationisque prava, Fera illa* (ita passiones animi appellat) *multò plus habent ad delinquendum, exorbitandùmque ab aquo, nutrimenti.* Hinc sicut miles domi latitans facilè infirmitatem suam dissimulat; verùm quando cum hoste conferendæ sunt manus, statim patescit, quis sit; ita, qui domi suæ intra angustias cellæ manet abditus, defectus, imperfectionesque suas facilè occultat; is verò, cui cum Mundo confligendum est, & ejus spectaculum fieri debet, excellentis sit virtutis, mortificationisque oportet; hinc S. Paulus 1. Corinth. 9. de se ipso testatur. *Ego igitur sic curro, non quasi in incertum; sic pugno non quasi*
 C 5 *aërem*

æram verberans, sed castigo corpus meum, & in servitium redigo, ne, dum alius predicavero, ipse reprobus efficiar, Tertiò, ut liberè munere suo fungatur; cum enim ad hoc vocatur, ut ipse prius liber sit ab omni vitio, & inordinatâ affectione, cupiditatis præcipuè, & timoris (ne alioqui audiat Medice, cura te ipsum) hoc autem non nisi beneficio conueniæ & generosæ mortificationis obtineatur, facile apparet nunquam Pastorem vitia liberè reprehensurum, aut suas functiones obiturum, nisi prius per insigne studium mortificationis illud regnum obtinuerit, de quo Seneca in Helio ait: Rex est, qui metuit nihil: Rex est, qui quicquid cupit hoc regnum sibi quisque dat.

Qu. 4. *Quare humilitatis studium illi tam necessarium sit, ob tres causas. Primò, quia ad functiones optimè disponit; cum enim DEUS ad summa quæque opera (qualesque etiam est munus pastorale) plerumque assumat ignota & infirma instrumenta, negari non potest, optimam dispositionem allaturum eum, qui se ipsum vilipendens, & pro inutili instrumento reputans, totum se supremi Motus arbitrio, dispositionique committit. Secundò, quia sub his functionibus Pastoralibus mirè roborat contra respectus humanos, seu inordinatum timorem displicendi hominibus, qui timor meritò præcipuum obstaculum creditur, quo minus Pastores officio suo liberè fungantur, atque adeò operæ fructu potiantur: Contra hunc autem fortissimè roborat humilitas, utpote efficiens, ut soli DEO placere cupiant. Pastor, quidquid homines de se sentiant, aut judicent, parum curat, memor saluberrimi consilii, quod S. Climacus sapienter dedit, dum dixit: Prima virtus Monachi (Quidni & Pastoris?) est, hominum de se iudicia contemnere; exemplo felicis præclari illius Pastoris, qui Galat. 1. dixit: Si hominibus placere, Christi servus non essem. Tertiò, quia post functiones contra vanam gloriam ob felicem successum potius protegit: nam, ut bene S. Augustinus monet, nisi bonitas omnia quacunquæ benefacimus, & præcesserit, & comitatus, & subsequuta fuerit, iam nobis de aliquo facto bono gaudentes totum extorquet de manu superbia.*

§. II.

De Medijs Corporalibus.

Qu. 1. *Qua media corporalia Pastori necessaria sint?* Re-
spondetur tria præcipuè, scilicet victus, amictus, & habitatio, de qui-
bus S. Paulus ad Timoth. 1. Tim. 6. scribens sic loquitur: *Est
autem Quæstus magnus, pietas cum sufficientia, nihil intuli-
mus in hunc mundum, haud dubium, quod nec auferre quidem
possumus; habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his
contenti simus.*

MEMBRUM I.

De Victu.

Qu. 1. *Quid circa victum observare debeat Pastor?* Resp.
hæc præcipuè. Primò, ut *sobrius sit*, id est, omnis intempe-
rantia tam in cibo, quàm in potu studiosè vitetur. Secun-
dò, ut *simplex sit*, id est, ex communibus, minimèque exqui-
sitis, aut copiosis ferculis, potuque instructus. Tertio, ut
ordinatus sit, id est, ut servetur Ordo *intentionis*, per quam
sumptio talis victus ad majorem DE I gloriam, perinde ut
aliæ actiones, ordinetur. Ordo *temporis*, ut scilicet, quantum
fieri potest, certa refectionis tempora observentur, & extra
illa non facile absque legitima causa quidquam cibi & potus
sumatur. Ordo *pietatis*, quæ suadet, ut ante mensam Bene-
dictio præcedat, & post eam gratiarum actio reverenter ac
devotè peragatur, suâque ipsi etiam animæ per lectionem
spiritualem portio tribuatur, tunc enim sperare poterit Pa-
stor, impletum iri, quod S. Chrysostomus Hom. 79. ad Popul.
dixit: *Mensa ab oratione sumens initium, & in orationem de-
sinens nunquam deficiet.*

Qu. 2. *Quare Pastor sobrietati & abstinentia tantopere stu-
dere debeat?* Re. ob has causas. Primò, ob *sanitatem conser-
vandam*: ut enim in multis escis erit infirmitas, ita, qui absti-
nens est, adijciat vitam, teste Siracide Eccl. 37. quam haud
dubiè Pastor tantò majore studio conservare debet, quantò
aptius illa instrumentum est ad propriam Pastoris & alienam
salutem procurandam. Secundo, ob *castitatem defenden-
dam*: nam, ut rectè S. Augustinus p. 3. curæ past. adm. 20.
dixit,

dixit, dum venter satietate extenditur, aculei libidinis extantur. Econtrariò verò sine Baccho & Cerere frigere Verem, commune habet adagium. Tertiò, ob pastorale officium rectè exercendum; ut enim Pastor vinolentus se & cre in manifestum vitæ periculum præcipitat, ita idem de Pastore Clerico sentiendum; quis enim non videt, eum quam non tantùm scandalo, sed etiam periculo vinolentus libere miobrius Pastor Sacramenta Baptismi, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis, ad quæ conferenda semper paratus esse debet, sit administraturus. An non confusio & ignominia est, IESVM Christum Crucifixum, pauperem & esumtem factis predicare corporibus, & ieiunorum doctrinam habentes Buccas, tumentiaque ora præferre, ut rectè dicitur in cap. Ecclesiæ principes dist. 35. *Væ, væ ergo tibi, Clerice, tu natus rectè S. Bernardus in declamat. Mors in olla, mors in delictis est, non modò, quia secus introitum delectationis esse cognoscitur, sed ob id maximè, quia Populi constat esse peccata, quæ comedis.*

Qu. 3. An consultum sit, ut Pastor Convivia in Nuptiis, Anniversariis Dedicacionibus institui solita frequentet? Non dubium esse, quin meliùs facturus sit Pastor, si ad ea quantumcunque invitatus venire recuset, idque ob tres potissimum causas, quarum primam Concilium Aquileense Causæ de vita & hon. Cleric. indicavit, dum dixit: *Convivia & familiaritatem Laicorum multarum offensarum, & scandalorum originem Clerici in quocunque statu constituti declinare ac fugere debent.* Alteram Concilium Ravennate nescitium expressit his verbis: *Ne Clerici Laicorum Convivia frequentent, quia valdè dedecent honestatem Clericalem, ipsorumque Clericorum vilescere faciunt auctoritatè; siquidem, ut Hieronymus Epist. ad Nep. ait, facile contemnitur Clericus qui sape vocatus ad prandium ire non recusat.* Et adijungit: *nescio enim, quomodo etiam ipse, qui deprecatur, ut erubescat cum acceperis, viliozem te iudicat, & mirum in modum, si rogantem contempseris, plus te postea veneratur.* Tertiam Solomon Prov. 23. c. indicat: *Noli esse in conviviis Potatorum, nec in comessionibus eorum, qui carnes ad vescendum comederunt; quia vacantes potibus & dantes symbola consumerunt.* c. 6. n. 42. nam, ut bene Trithemius advertit, convivia in

moderata, & mentem virtutibus exuunt, & Bursam nummis
vacuam reddunt. Quare, ut tandem S. Hieronymus l. c. con-
cludit: *Consolutores non potius ipsi Laici in maroribus suis, quàm*
Convivas in prosperis noverint.

Qu. 4. *Quid observandum sit Pastori in convivio, si ea cha-
ritate vel auctoritate cogente adire compellatur?* R. et si raro
ejusmodi casus contingere queat, si semel resolutionem &
aversionem suam seriò ostendat; si tamen aliquando contin-
gat, hæc ipsi documenta præ cæteris observanda putem. Pri-
mum est, ut exemplum S. Gregorij Nazianzeni secutus, non
tam ire se sponte, quàm altiori potestate aut motivo tractum
esse &, ut S. Chrysostomus monet, pro supplicio potius, quàm
animi remissione ejusmodi convivia se habere, palàm osten-
dat; sic enim efficiet, ut invitantes, & venerationem erga
ipsum majorem concipiant, & verecunda commiseratione
permoti, frequentiori invitatione ipsi molesti esse desinant.
Secundum est, ut juxta Salomonis Prov. 23. consilium dili-
genter attendat, *que apposita sunt ante faciem suam, & statuat*
cultrum in gutture suo, ne desideret immoderatè de cibis eius,
in quo est panis mendacii; multò minùs verò de potu, in quo
est vinum fallaciæ & stultitiæ. Certè hîc verè suo modo Ho-
spes invitans dicere potest: Clerice, comede & bibe, ut vi-
deam te, id est, ut cognoscam, quantum in virtutibus & ab-
negatione profeceris; nam Jacobo teste, c. 1. *si quis putat se*
Religiosum esse, non refranans linguam (& gulam) suam, sed
seducens cor suum (per inordinatum cibi & potùs appetitum)
huius vana est Religio. Tertium est, ut strictè observet S.
Pauli Eph. 4. saluberrimam doctrinam in tali occasione:
Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed si quis bonus
ad adificationem, ut det gratiam audientibus. Id, ut conse-
quatur, primò juxta monitum S. Jac. 1. c. *sit velox ad au-*
diendum, tardus autem ad loquendum; deinde, ubi audierit,
juxta doctrinam Siracidis Eccl. 5. *Si est ipsi intellectus, respon-*
deat Proximo: Sin autem, sit manus eius super os suum, ne ca-
piatur in verbo indisciplinato, & confundatur: honor & glo-
ria in sermone sensati; si ergo loquendum, loquatur tanquam
sermones DEI, juxta S. Petri monitum

1. Petri 4.

MEM-

MEMBRUM II.

De Amictu.

Qu. I. Quid circa amictum Pastor observare debeat? univèrsim observandum, quod in Synodo Aquisgranensi prima Cap. 1. 24. definitum est: *Canonicis totis viribus laborandum est, ut & indumenta virtutum habeant interiora, & primum moderatum cultum caveant dehonèstare Religionis dignitatem exterius.* In specie verò studeat primò, ut honestus sit, id est neque nitorem nimium, nec sordes præferens. Ita S. Hieronymus ad Nepotianum scribens monuit his verbis: *Ulpulas aquè devita ac candidas, ornatus & sordes pari modo fugienda sunt, quia alterum delicias, alterum gloriam reddidit.* Et iterum ad Eustochium: *Vestis nec nimis munda sit, neque dida; & nullà diversitate notabilis, ne ad te obvium præsentium turba consistat, & digito monstreris; siquidem nec delectata sordes, nec exquisita munditia conveniunt Christianis, quanto minùs Clerico? Caveat ergo Pastor, ne propter immoderatum vestium cultum ijs annumerari mereatur, de quibus idem S. Hieronymus questus est: *Sunt quidam in Ordine, quibus omnis cura est de vestibus, si bene oleant, si per lacum pelle non rugeat; crines calamistræ vestigio rotantur, digiti in annulis radiant, & ne plantas humidior via spargat, curam imprimunt summa vestigia; tales cum videris, sponsas magis estimato, quàm Clericos.* Secundò, ut simplex sit, id est, nihil pretiosum quoad materiam: nihil curiosum quoad formam, nihil delicatum quoad odorem spirans; nam, ut prudenter advertit Dionysius Richel de vita Eccles. quanto ministri Ecclesie tenentur præ Laicis esse honestiores, eò debent præ Laicis in vestitu simpliciores & humiliores, & magis excelsiores esse, implerèque illud, quod in Ecclesiastico c. 11. legitur: *In vestitu ne glories unquam;* quibus consonat, quod Innocentius Secundus cap. feri. 21. q. 4. præcepit in hac verba: *Præcipimus, ut tam Episcopi, quàm Sacerdotes & Clerici in statu mentis, & in habitu corporis DEO & hominibus suis complacere, & nec in superfluitate, vel scissura aut colore vestium, nec in tonsura, intuentium (quorum forma & exornatio esse debent) aspectum offendant; sed potius, quod cornu dicitur sanctitatem, observent.* Præcipuè autem intolerabilis*

tur eorum abusus, qui se, suasque vestes odoriferas reddunt, nam, ut bene S. Chrysostomus in orat. 1. de Lazaro advertit: *Clericos non oportet olere unguentum, sed virtutem spirare; nihil immundius animam, quoties corpus talem habet fragrantiam; quia Corporis ac Vestium fragrantia arguit intus latere animum graveolentem & immundum.* Cùm enim diabolus aggressus delicis enervaverit animam, omnique vitiorum genere repleverit, tum eo in corpore suæ corruptionis lectum oblivit unguentis. Tertiò, ut fit Clericalis; qualis erit, si Clericorum honestorum in eadem Diœcesi aut Provincia habitantium habitui fuerit conformis. Ad quem quidem Concilium Tridentinum sess. 14. de reform. c. 6. egregiè hortatur sequentibus verbis: *Etsi habitus non facit Monachum, oportet tamen Clericos, vestes proprio congruentes Ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant;* in specie verò, quæ vitanda sit in habitu Clericali, clarè Innocentius Tertius declaravit, dum dixit: *Clausa deferant desuper indumenta, nimia brevitate vel longitudine non notanda: pannis rubris aut viridibus, nec non manicis, aut scapularibus consutitiis, franis, sellis, pectoralibus, calcaribus deauratis, aut aliam superfuitatem gerentibus non utantur: Cappas manicatas ad Divinum officium intra Ecclesiam non gerant; sed nec alibi, qui sunt in Sacerdotio & personatibus constituti, nisi iusta causa timoris exegerit, habitum transformari, fibulas omnino non ferant, nec corrigias auri vel argenti ornatum habentes, sed nec annulos, nisi quibus competit ex officio dignitas.*

Qu. 2. Quas ob causas Pastor hanc honestatem in vestibus procurare debeat? R. ob tres præcipuè. Primò, ad propriam excitationem; nam habitus Ecclesiasticus est quasi assiduus admonitor animo intus susurrans, quòd olim priscum Atheniense Ducem, dum vestes ducales induebat, sibi dixisse ferunt: *Vide, ne quid indumento isto indignum feceris;* unde obiecta ministerij sui sanctitate & dignitate non modicè cohibebitur, ne in scurrilitates, nugæque verborum inaniter effundatur, & modestiæ terminos excedat. Secundò, ad proximæ adificationem; nam habitus Clericalis Ecclesiæ impo-
nentis benedictione & comprecatione, quasi cælesti rore perfusus, fragrantiam gratiæ & sanctitatis spirat, ita ut de Sacerdotibus

toribus illum deferentibus Ecclesia dicere possit cum Jaco-
 Gen. 22. *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit*
Dominus: eique optari queat illud Apostoli, 2. Cor. 2. Clericus
bonus odor sumus in omni loco; unde ipsi sermones etiam in
familiari sermone de pietate instituti virtutem quandam
efficaciam haurient, ita ut, etsi eloquium quiescat, ipse locus
sonet, occursuque suo vitia suffundat, quemadmodum Teren-
lianus l. de Pallio c. ult. loquitur. Tertiò, ad propriam de-
fensionem: sicut enim nemo Clericum injuriosè tangere au-
det sine Sacrilegio; ita nec mundus, nec Affectus ipsius ad-
nitates & insanias suas provocare audebunt illum, quoniam
habitu Clericali & rursurâ tanquam lorica justitia, & gallica
lulis viderint communitum.

Qu. 3. *An conveniens videatur, ut Pastor die festo noster*
veste indutus procedat? R. ad hoc quæsitum jam olim
 Leonem magnum respondisse his verbis: *Rationabile est quod*
dammodo Religiosum videtur, ut habitu corporis hilaritas
mentis ostendamus; quia ipsam quoque orationis domum pro-
spicere tunc curâ & ampliore cultu, quantum possumus, ad-
mus; ut huiusmodi contemplatione anima Christiana, que
rum, vivumque DEI templum est, speciem suam prædantem
exornet, & redemptionis suæ celebratura Sacramentum, per
circumspectionem præcaveat, ne ulla eam macula iniquitatis
fuset, aut duplicis ruga cordis dedecoret; nam quid prædantem
nefastis formam præferens cultus exterior, si interiora hominum
aliquorum sordeant commemoratione vitiorum? omnia quæ
quæ animi puritatem & speculum mentis obnubilant, ab-
genda sedulo, & quadam eliminatione radenda sunt.

MEMBRUM III.

De Habitatione.

Qu. 1. *Quid circa habitationem observare debent Pastores?*
 R. sequentia præcipuè. Primò, *Integritatem*; nam quædam
 domum parochialem, quantum per proventus annuos
 rit, reparandam & conservandam obligetur. Concilium
 dent. Sess. 21. de reform. c. 7. definiivit. Secundò, *Modestiam*;
 utpote quæ non ad sanitatem duntaxat, sed etiam
 cationem plurimum confert. Tertiò, *Commoditatem*
 scilicet, quantum fieri potest, cubiculum, in quo studeat

dormiat, & alias functiones officij sui peragat, distinctum ab habitatione domesticorum habeat; sic enim & quietis ad studia necessariz, & auctoritatis, quæ per familiarem & communem cohabitationem facile minuitur, conservatio exigitur videtur. Unde vulgare illud proverbium: *Secretum meum mihi*; vel maximè huc applicandum est.

Qu. 2. *Quid circa suppellectilem domus observare debeat?* R. sequentia pariter observanda. Primò, ut sit *sufficiens*, id est, quicquid ad communes necessitates requiritur, contineat. Secundò, ut *simplex*, id est, neque quoad materiam, neque quoad formam nimis pretiosa aut curiosa sit, ut fieret, si vasa & patinas pro communi usu ex auro vel argento elaboratas, aut cimelia pretiosa haberet. Tertiò, ut *munda* sit, ob rationem supra dictam; nec enim satis explicari potest, quantum de bona existimatione decedat Pastori, si passim omnia in domo sordida conspiciantur, neque dignitatis suæ condignam æstimationem habere agnoscat.

§. III.

De Redditibus Pastoris.

Dupliciter redditus hi accipi possunt. Primò *latè*, prout omnem titulum, ex quo necessaria ad sustentationem media acquirere potest Pastor, comprehendunt. Secundò *strictè*, prout solum titulos onerosos complectuntur. Utroque modo sumpti subdividi possunt in activos & passivos; *activi* sunt ipsi tituli, ex quibus vel pecunia, vel etiam alia media ad sustentationem acquiruntur; *passivi* sunt ipsæ res, quæ percipiuntur: Hoc loco de redditibus passivis latè acceptis potissimum erit sermo, qui quidem ad octo potissimum revocantur, videlicet ad Decimas, Primitias, Oblationes, Stipendium, Negoriationem, Censum, Donationem, Successionem hæreditariam, de quibus breviter aliquid hoc loco dicendū.

MEMBRUM I.

De Decimis.

Qu. 1. *Quid de Decimis potissimum sciendum & observandum sit Pastori?* R. hæc præcipuè. *Sufficiens cognitio, Studiose collectio, Sollicita conservatio.*

Instructio IV.

D

Qu. 2.

Qu. 2. *Qualis cognitio requiratur?* R. triplex. Primò, *cognitio natura* Decimarum, ut scilicet sciat, quid sint Decimæ, videlicet quòd sint omnium Bonorum licite quæsitum, quæ sit pars DEO, ejusque Ministris, divinâ institutione præcipiente, humanâ verò constitutione dictante, etiam ratione naturali debitâ; vel brevius, quòd sint decima pars fructuum, ad quam petendam competit Jus Ecclesiæ Parochialibus ratione ministerij Sacramentorum. Et dividitur in *Prædiales* seu *Reales*, quæ ex Prædiis colliguntur, & *Personales*, quæ nomine Personæ, seu lucro humanâ industria quæsito comparantur; inter quas duplex discriminat intercedit, nimirum, quòd personales non persolvantur, nisi deductis expensis, & solùm à Parochia, ubi Sacramenta recipiuntur; nec à Clericis Regularibus, Monachis, & Jureis exigantur, sicut prædiales. Secundò, *cognitio personarum* à quibus exigì possunt, quales sunt omnes Laici privilegio speciali non exempti, aut qui per legitimam præscriptionem à tali onere se non liberarunt; imò & ipsi Clerici ac Regulares respectu prædiorum, quæ vel à Laicis comparantur, vel per Colonos colunt, vel conduxerunt. Tertio, *cognitio rerum & locorum*, in & ex quibus debentur; videlicet per se à omnibus fructibus, qui vel ex prædio, vel hominis ministerio sunt producti, atque aded non tantùm ex agris, vineis, hortis, piscibus, apibus, lacte, lana, & fætibus animalium nutritorum, venationibus, aucupijs, pascuis, silvis, sed & ex negotiatione, artificio, stipendio, advocacione, mercatorum, lapicidinibus, fodinis, molendinis &c. dixi *per se*, quia defunctis per consuetudinem introductum est, ut ferè ex agris duntaxat, & vineis Decimæ persolvantur.

Qu. 3. *Quid circa collectionem observandum sit?* R. brevitas præcipuè. Primò, ut *legitimè* colligat; scilicet prædialibus quidem decimam partem fructuum naturalium spectatorum, id est, sine deductione expensarum; in Personales verò non nisi fructuum civiliter (id est, secundùm consuetudinem & interpretationem Juris civilis, quod expensas persolvendi vult) consideratorum; hi enim ex sola auctoritate Ecclesiæ debentur, neque ullum de illis in veteri lege præceptum extat, uti Barb. c. 28. §. 1. de offic. Paroch. n. 35. addit. Secundò, ut *integrè* colligat; quem in finem potest

excludendas fraudes Custodes apponere, vel prohibere, ne fructus ex agris auferantur, nisi solutâ prius decimâ, vel nisi ipse aut alius ab eo constitutus sit præfens. Imò, qui solvere tenetur Decimas, debet ad instantiam Pastoris jurare de vera quantitate soluta; nec tenetur Pastor stare sola assertione Coloni, ut Covarr. c. 17. n. 8. apud Hauckium in Epinomia V. decima. n. 34. & 35. monet. Tertiò, ut efficaciter colligat; quem in finem scire oportet modos, quibus cogi possint, qui negant Decimarum persolutionem, nimirum quòd debeat Laicus Conductor coram Judice Ecclesiastico conveniri, & hic, omni appellatione remota, debeat ex Officio procedere; & etiam excommunicare pertinacem, ipse verò Pastor interea Sacramenta negare possit juxta Monetam apud Hauck. n. 13. 14. & 18.

Qu. 4. *Quid circa Conservationem observandum?* R. primò, ut non statim cedat eas negare volenti; sed meminerit, Parochum de jure communi habere fundatam intentionem respectu omnium Decimarum intra Parochiæ suæ limites existentium, & ita quidem, ut ipsum jus percipiendi Decimas nulli Laico competere possit; imò nec ipsi Episcopo post factam Parochiarum divisionem, uti apud Barb. de off. Paroch. c. 28. §. 2. n. 3. & seq. videre est; quia Decimæ dantur ratione ministerij spiritualis, quod solus Parochus administrat. Secundò, ut, si quis in judicio contendere cum ipso velit de jure Decimarum, sciat, in petitorio assistentiam Juris se habere, atque aded non teneri, probare Decimas sibi competere, sed contrarium asserenti onus probationis relinquere debere, ibid. num. 9. Tertiò, ut diligenter caveat, ne præscribantur Decimæ, id quod fieri posset non quidem ab ipsis Laicis (nisi ante Concilium Lateranense, aut ex Privilegio specialî Pontificis à tempore immemoriali jus sibi tale competere probent) sed ab Ecclesiasticis aliis quadraginta annorum spatio cum titulo, & sine hoc per possessionem ab immemoriali tempore habitam. ibid. l. c. n. 55.

Dubia moralia.

Qu. 1. *An Pastor possit propriâ auctoritate Decimas capere?* R. negativè cum Moneta, de Decimis c. 5. qu. 3. concl. 4. sed peti debent, & si negentur, ad Ordinarium recurri.

D 2

Quia

Quia, ut bene advertit Layman, non est universim Creditum concessum, propriâ auctoritate bona debitoris invadere, et que possessione ad debiti recuperationem spoliare.

Qu. 2. *An Pastor ipsemet per suos colligere debeat Decimas?* R. cum Covarr. & aliis pluribus apud Laym. l. 4. trad. c. 1. n. 2. affirmativè, si solum Jus commune spectetur, in quo nihil de hoc onere per Parochianos suscipiendo ditatum videtur; & ratio est, quòd Ecclesia se tanquam usufructuaria & pensionaria habeat comparatione Decimarum, proinde meritò satisfieri dicitur, si pensio in eo loco, in quo res frugifera sita est, solvatur, nisi aliter conventum, aut consuetudinem introductum sit.

Qu. 3. *An Pastor Decimas aliis vendere queat?* R. eodem ibid. c. 6. n. 2. & 3. si jus Decimarum formaliter datur, quatenus in obligatione ministrandi spiritualia datum est, non posse sine Simonia vitio vendi, aut cum temporali permutari, eò quòd Laici sint incapaces talis si tamen materialiter spectetur, vendi & locari posse, cum sic temporale quid sint, atque adeò æstimationem temporalem recipere queant.

Qu. 4. *An etiam à pauperibus in gravi necessitate compellitur exigere Decimas possit?* R. cum Suar. to. 1. de rel. tr. 2. c. n. 16. & 18. posse quidem *per se*, cum multi doceant, extingui debiti, in quo non habetur ratio paupertatis, prohiberi; nihilominus tamen plerosque Recentiores Auctores monere, non esse in tali casu exigendas, eò quòd præceptum de solvendis Decimis merè Ecclesiasticum sit, non incredibile sit, Ecclesiam velle, ut à Fidelibus cum tanto onere Decimæ exigantur; Imò Ferd. de Castro & alij docent, etiam debitum in gravi necessitate penitus extingui.

Qu. 5. *An ex agris Iudaorum & aliorum Infidelium Decimas colligere?* R. ex cap. de Terris. affirmativè, quia Ecclesia non debet fraudari jure quæsito in prædico propter delitatem acquirentis; secus foret de Decimis Personarum, quia cum tales Sacramenta percipere non queant, etiam Decimas eo titulo persolvendas compelli non possunt.

Qu. 6. *An etiam ex Bonis Clericorum Decimas exigere queat?* R. juxta c. 2. vers. illi profectò, si prædia vel sint talia, ex quibus Clerici Clericali jure vivunt; aut si

fructus, quos ipsi Clerici ex Clericali Officio percipiunt, non posse ex illis Decimas accipi: secus verò, si sint prædia sæculari jure, v. g. per hæreditatem, aut emptionem comparata.

Qu. 7. *An de minimis rebus exigi Decima debeant?* Resp. negativè cum Barb. de off. Paroch. c. 28. §. 1. n. 33. quia indecens est, & rationi minùs consentaneum, ut Ministri Ecclesiæ sint exactores minimorum, cum hoc virtuti liberalitatis repugnet & vitium avaritiæ in Personis maximè Ecclesiasticis improbetur; ubi tamen consuetudo loci aliud suaderet, illi standum est.

Qu. 8. *An etiam ex Novalibus (id est, agris nunc primùm ad culturam redactis, de quibus, quod aliquando culti fuerint, memoria non extat) Decima exigi possint à Pastore?* R. affirmativè ex cap. Quoniam. 13. de decim. l. 3. tit. 30. cum tales agri verè etiam ad Parochianos spectent, ut supponitur, atque adeò non appareat causa, cur non ex illis etiam Decimas pendere debeant Parochiani: Imò si quis legitimam præscriptionem contra Decimas haberet, eam tamen ad Novalia se non extendere, docet Barbosa de off. Paroch. c. 28. §. 2. n. 58. & 59. cum plurimis Auctoribus, eò quòd in præscriptione utpote odiosa stricta interpretatio sit facienda.

Qu. 9. *An si Decima in aliena Parochia sint constituta, illa adhuc proprio Pastori debeantur?* R. hac in re potissimùm consuetudinem esse attendendam, hac tamen remotà probabilius esse, quòd prædiali potiùs Ecclesiæ, quàm Sacramentali debeantur, eò quòd etiam prædialis Ecclesia parata esse debeat ad Sacramenta ministranda, licet per accidens supposita mutatione domicilij id non faciat. atque ita docet Barb. ibid. n. 36. cum S. Thoma & pluribus à se allegatis.

Qu. 10. *An si Parochianorum aliquis Decimas per modum compensationis ob debitum à Pastore apud ipsum contractum retinere velit, Pastor id tolerare debeat?* R. negativè, cum in Decimis futuris non admittatur compensatio; uti Rebuffus apud Hauckium docet.

Qu. 11. *An quartam partem Decimarum Episcopo offerre debeat Pastor?* R. ita quidem ob varia Juris Canonici Capitula Doctores communiter sentire; sed cum pluribus in locis Episcopi ex propriis foundationibus, aliisque titulis sufficientem sustentationem habeant, ideò quartæ hujus partis oblationem

tionem in pluribus Diocæsis omnino in defuetudinem venisse, Laym. l. 4. tract. 6. c. 4. n. 6. testatur, ubi addit tamen Episcopo Decimas competere ex Parochiis, quæ immemorialiter ipsius curæ subjectæ sunt.

Qu. 12. *An si Parochiani per consuetudinem non solvunt Decimas allegatam eximere se velint à Decimis perfolvendis, Pastor omittere debeat earundem exactiorem?* R. affirmative cum communi sententia apud Barb. de off. Paroch. c. 1. §. 1. n. 69. modò probetur cum requisitis immemorialis, seu legitime præscriptionis.

Qu. 13. *Si in loco, ubi fieri debet solutio Decimarum, nulla est consuetudo, vel dubia tantum, quomodo Pastor suas Decimas exigere debeat?* R. Idem n. 72. in tali casu consuetudinem viciniore loci attendendam esse, semperque partem consuetudinem generali, & eam, quæ favet Parochiæ Ecclesiæ, utpote rationabiliorem & juri conformiorem præferendam esse.

M E M B R U M II.

De Primitiis.

Qu. *Quid sint Primitiæ?* R. esse primos fructus terræ quotvis anno collectos; seu, ut fusiùs Barbosa de off. Paroch. c. 1. n. 1. describit, esse primitiva frugum, quæ in recognitionem Divini Beneficij, quo jucundissimos terræ fructus habemus, DEO tanquam Creatori & Datori illorum rependantur; de quibus DEVS Num. 18. olim locutus est, dicens *Quidquid offerunt Primitiarum Domino, tibi* (scilicet Aaron) *dedit; universa frugum initia, quas gignit humus, & Domini deportantur, cedent in usus tuos.*

Dubia moralia.

Qu. 1. *An Pastor defacto à suis Parochianis Primitias exigere possit?* R. affirmative, in ijs locis, in quibus consuetudo non sunt abrogatæ: Ita Barb. cum alijs. Layman tamen l. 4. tr. 6. c. 7. n. 1. testatur, in plerisque locis earum obligationem in defuetudinem venisse, eò quòd potissimum propter Ministrorum sustentationem sint constitutæ; nunc autem ex Decimis & Oblationibus hæc sustentatio satis habeatur.

Qu. 2. *Quanta pars fructuum pro Primitiis exigi debeat?*

ubi consuetudo viget? R. etsi in S. Scriptura non sit determinata quantitas earum, S. Hieronymum tamen apud Barb. l. c. n. 6. testari, quòd ex Majorum traditione inductum fuerit, ut major pars Primitiarum esset quadragesima, minor sexagesima, simulque etiam in arbitrio solventis foret, majorem vel minorem partem dare de terræ fructibus. De animalibus enim solam primogenituram aut æstimationem pro pretio dabant.

Qu. 3. An Pastor Sacramentalis Ecclesia eas exigere queat? R. negativè cum Azor. Fagund. & pluribus aliis apud Barbofam; quia, cum Primitiæ sint onus prædiale, non personale (offeruntur enim DEO in recognitionem dominij naturalis, quod habet in omnes fructus terræ) rectè etiam illi Parochiæ, in qua prædia existunt, non verò illi, in qua Sacramenta percipit Parochianus, persolvuntur, nisi consuetudo in contrarium obstet.

MEMBRUM III.

De Oblationibus.

Qu. 1. Quid de his Oblationibus Pastor potissimum scire debeat? R. Quinque potissimum. Primò, quid sint. Secundò, quotuplices. Tertiò, quis eas offerre possit. Quartò, quæ sit obligatio eas dandi. Quintò, ad quem pertineant.

Qu. 2. Quid intelligatur per Oblationes? R. cum Barb. de off. Paroch. c. 24. n. 1. in genere quidem per eas intelligi actiones omnes, per quas res aliqua ad Divinum cultum exhibetur; propriè tamen per illas solùm intelligi res illas, quæ intuitu Religionis immediatè DEO ab hominibus absque immolatione exhibentur, ut vel in usum Ecclesiæ, vel Ministrorum ejus cedant.

Qu. 3. Quotuplices sint Oblationes? Resp. Idem Barbosa n. 3. tres præcipuè species assignari: Prima donatio inter vivos vocatur, facta DEO & Ecclesiæ. Secunda donatio mortis causâ, quæ fit pro animæ redemptione, & mortuarium appellatur. Tertia tandem usualis dicitur, & est illa, quam faciunt Fideles, dum varias res ad altare vel manus Sacerdotum offerunt.

Qu. 4. Quis eas offerre possit? Resp. id colligi posse ex conditionibus, quas comuniter Auctores requirunt, ut illæ DEO

sint acceptæ. Prima est, ut offerens sit Christianus, quibus Ecclēsia non recipit ab Infidelibus Oblationes. Secunda est, quod Ecclēsiæ, non privatis personis offerantur; quod eum offeritur, donatio potius aut eleēmofyna, quàm oblatio vocatur. Tertia, ut de rebus licitè & honestè acquisitis offerantur, nam *dona iniqua non probat Altissimus*, teste Simoni Eccl. 38. *nec respicit in oblationes iniquorum, nec in multitudine Sacrificiorum, eorum propitiabitur peccatis*; hinc septem genera hominum arceri ab his Oblationibus docet Gratianus. Verb. Dona in c. 2. dist. 90. nempe dissidentes Fratres, Hereticos, Oppressores pauperum, Sacrilegos, Usurarios, carnaliter amantes servos suos ex Ecclēsia, ad quam confugerant, & peccatè Pœnitentes. Idem etiam de Meretricibus eadem Gratianus sentit, & cum ea S. Thomas 2. 2. qu. 86. n. 3. ad 1. tum propter scandalum vitandum, tum propter reverentiam: Unde sententia hoc scandalo, posse Ecclēsiam tum ab his Meretricibus, tum ab alijs Pœnitentibus accipere Oblationes, Suarez de relig. tract. 7. l. 1. c. 6. docet, modò res offerendæ non sint, quæ suis Dominis restitui debeant, aut alijs operibus charitatis sint obnoxia, puta Parentum, Filiorum, pauperum sustentationi.

Qu. 5. *Quæ sit obligatio easdem Oblationes dandi?* Respondeo per se non dari ullum præceptum de Oblationibus offerendis, cum nequaquam in SS. Canonibus aliquod tale præceptum reperiatur. Excipit tamen S. Thomas 2. 2. qu. 86. ar. 1. quatuor casus, si scilicet Oblationes, vel per mortuum census, pensionis aut conventionis antea factæ cum Ecclēsia, aut ex Testamento, Legato, Donatione, Voto; aut ad necessariam Pastoris sustentationem; vel propter consuetudinem in spatio decem annorum introductam sunt faciendæ; in quibus enim casibus cogi possunt ad tales Oblationes offerendas.

Qu. 6. *Ad quem pertineant hæ Oblationes?* Respondeo eas parochiali esse, uti ex Jure Canonico c. Quia Sacerdotes caus. 10. q. 1. & vel ex ipso fine illarum colligitur; nam, quod propter Sacramentorū administrationē dentur, merito Pastori, ad quem administratio talis pertinet, deberi dicuntur.

Dubia moralia.

Qu. 1. *An, si Vicarius pro Parocho infirmo, vel*

impedito, Sacramenta Parochianis administrat, Oblationes istæ ad Parochum pertineant? R. negativè cum Hauckio, V. Oblat. n. 4. & aliis ibidem. Quia, cum in tali casu Vicarius onus sentiat, emolumentum quoque percipere debet.

Qu. 2. An, si Oblationes fiant alicui Capellæ in Ecclesia existenti, Parochus eas tanquam sibi debitas accipere possit? Resp. affirmativè cum Barb. & aliis, nisi clarè constet, eas intuitu Capellæ relictas esse. In dubio autem Oblationes, quæ in aliquo altari fiunt, ipsius Ecclesiæ intuitu fieri præsumuntur.

Qu. 3. An Oblationes, quæ sacris imaginibus fiunt, ad Parochum potius, quàm Episcopum spectent? Resp. non deesse quidem multos, qui eas ad Episcopum pertinere contendunt, verior tamen videri sententiam Barbosæ de off. Paroch. c. 24. n. 29. & aliorum, eas Parocho adjudicantium, eò quòd iste fundatam habeat intentionem super omnibus obventionibus intra Parochiæ suæ limites obtingentibus.

Qu. 4. An, quæ in Capella vel Oratorio sito intra Parochiæ fines obveniunt, etiam ad Parochum pertineant? Resp. iterum affirmativè cum plurimis apud Barbosam, ibid. n. 24. idque hic verum putat, etiam si Oblationes fierent in Capellis, ubi distincta essent Beneficia.

Qu. 5. An Oblationes, quæ fiunt in Missa de Sponso in aliena Parochia, ad ipsum Celebrantem pertineant? R. affirmativè cum Barbofa, ibid. n. 23. quia ejus contemplatione dantur; secus sentiendum est de Oblationibus aliàs in parochiali Ecclesia sub Missa fieri solitis; has enim non ad Celebrantem, sed ad Parochum pertinere ex supradictis patet. Rectè tamen monet idem Auctor in hac materia plurimùm ad consuetudinem attendendum esse, atque adèò, quoties à Fidelibus pro certo sine v. g. pro Missis, fabrica &c. præstantur, voluntatem eorum præcisè servari debere, neque aliud Parocho, nisi administrationem talium Oblationum permittendam.

M E M B R U M IV.

De Stipendio.

Qu. 1. Quid de Stipendio sciendum Parocho? R. tria præcipuè. Primò, quid sit. Secundò, à quibus petendum. Tertio, quomodo petendum.

Qu. 2. Quid stipendij nomine hîc intelligatur? R. intelligi mer-

mercedem pro functionibus Sacerdotalibus actu obedienter perfolvi solitam; et si enim Christus dixerit Apostolis Matth. 10. *Gratis accepistis, gratis date*: quia tamen mox addidit, *agnus enim est Operarius cibo suo*: hic autem cibus & sustentatio saepe ex Decimis, aut aliis proventibus sufficienter haberi non potest, merito perimititur, ut in subsidium ejusmodi stipendia à Parochianis exigantur.

Qu. 3. *A quibus petere Stipendium queat Pastor?* R. in genere ab omnibus, in quorum commodum particulare functionem aliquam Sacerdotalem peragit, in specie veteri ijs, quibus fructum sacrificij applicavit: ab infirmis, quibus Viaticum aut Extremam Unctionem dedit: ab ijs, quorum Confessionem Paschalem audivit: à Sponsis, quorum nuptias adstitit, & benedixit, à Parentibus vel Patrinis eorum, quos baptizavit: ab ijs, qui sumptus pro sepultura cujuscumque perfolvere debent: ab ijs denique, quorum domos aut altaria benedixit, aut à Puerperis, quas solemniter iterum in Ecclesiam introduxit.

Qu. 4. *Quomodo illud exigere debeat?* R. cum sequenti cautelis. Primò, ut *iuste* exigat, id est, neque majus stipendium, quàm oportet; neque à pluribus, quàm decet, exigendo. Secundò, ut *moderate* exigat; ita, ut ubi difficultas in offerendo apparet, facile de rigore justitiæ aliquid remittat. Tertiò, ut *discrete* exigat, id est, tam ad circumstantias personarum, à quibus exigit; quàm ad decentiam Clericis status attendat, atque adeò neque importunus sit in exigendo; neque contentiosus in extorquendo stipendio, sed potius meminerit, lucrum, quod propter virtutem negligit, potius virtutem melius recuperari.

Dubia moralia.

Qu. 1. *Quam taxam in stipendiis exigendis Pastor adhibere debeat?* R. eam, quam loci consuetudo tulit: nam, ubi extat taxa legitima, seu per legem Superioris determinata, consuetudo diuturna à probis, peritisque usurpata quantitate pretii determinat, uti Navarrus cap. 23. n. 78. &c. communiter advertunt.

Qu. 2. *An, quando nimis avari sunt Parochiani, licet pacisci de quantitate stipendij, si ea per consuetudinem aut*

periores non est determinata? R. affirmative cum plurimis Doctoribus apud Dicastillo, n. 318. disp. 4. cum ejusmodi pactum nullam per se turpitudinem includat.

Qu. 3. An, si pretium rerum ad victum & vestitum necessarium crescit, licitè etiam maius stipendium exigi queat? R. posse, si consuetudo in tanta caritate non justum declaravit idem pretium, quàm in vilitate pretij; secus non potest, teste Vasquez to. 3. in 3. dub. 234. c. 3. num. 21.

Qu. 4. An, si quis non dedit iustum stipendium pro toto v. g. sacro, possit Pastor ab alio etiam dimidiam partem accipere? R. id quidem negare Lugonem & alios; sed æquè ferè probabiliter id affirmare Tamburinum, l. 3. c. 1. tr. 3. n. 53. benèque explicare decretum Congregationis pro contraria sententia citatum.

Qu. 5. An Pastor accepto pingui stipendio pro pluribus sacris dicendis, possit sibi reservare partem illius, & pro reliqua parte alios Sacerdotes, qui pro ipsius intentione celebrent, constituere? R. ita quidem olim docuisse Suarez, Tannerum, Palaum & alios universaliter de omnibus Sacerdotibus; sed hanc sententiam in tanta universalitate acceptam vetuit praticari Urbanus VIII. per decretum Anno 1625. editum, in quo tamen, quia Capellanos & Parochos excipit, non est, cur tali Pastori scrupulum ob tale factum faciamus; & ratio est, inquit Pater Gobat Alph. Sacrif. n. 572. quia offerentes censentur ex speciali affectu suis Pastoribus liberalius stipendium offerre, ergo meritò quoque illum excessum retinere videntur posse.

Qu. 6. An Pastor oneratus multis sacris dicendis, possit stipendia accipere pro aliis sacris, quæ tamen vix intra 50. aut 60. dies absolvere possit? R. id universaliter de omnibus iterum Sacerdotibus dicere Villalob. Ledesnam, Lugonem & alios: Imò Tamburin. ad tres menses hoc spatium extendere; quia tamen Congregatio Cardinalium voluit, non plura accipi stipendia pro sacris, quàm intra modicum tempus legere possit; censerem potiùs cum Dicastillo & Palao apud P. Gobat. n. 597. hac in re voluntatem rationabilem illius, qui obtulit stipendium, spectandam esse; unde si is pro præsentis necessitate sacrum petijt, non deberet diu differri, cum circum-

circumstantia temporis tunc ad substantiam pertinet, teste Lugone d. 21. num. 45.

Qu. 7. *An Pastor, qui praesb Ecclesia multis miraculis celebri, recipere possit stipendium, quod pro sacris vix intra unum alterumve annum dicendus offertur?* R. non posse, sed debet suam impossibilitatem ostendere, si alios constituere non possit; si tamen hac impossibilitate cognita, petentes minus nummos offerant, posse illum accipere, atque adhibitorum in uno vel pluribus sacris, peculiarem etiam collectionem inferendo, memorem esse debere. Id ipsum etiam licet notoria sit ista impossibilitas, cum non sit opus, ut singularem in memoriam revocet, teste Henriqu. & Tanna. apud eum P. Gobat num. 599.

Qu. 8. *An Pastor, qui sacrum legit anticipato pro eo, proximo stipendium oblaturus est, possit id postea à primo offerente accipere?* R. etsi id licite facere eum posse Henriqu. Bonac. & multi alij doceant apud P. Gobat. quia tamen hæc praxis à Clemente Octavo & Paulo Quinto damnata est teste Gavanto; & præterea varia incommoda ex ea orti sunt, rectè ea relinquitur à Pastore.

Qu. 9. *An Pastor possit manus stipendium accipere, si sacrum in certa ara & certo tempore celebrandum ab eo expectetur?* R. affirmativè cum Bonac. & P. Gobat. quia obligatio ad faciendum certo tempore & loco est verè pretio aestimabilis, ita ut pro quovis gravamine quinta pars communis stipendij exigi possit secundum Caramuelis opinionem.

Qu. 10. *An tutà conscientia possit Pastor pro uno sacro stipendium sufficiens ad sustentationem unius diei accipere?* R. quidem sentire Henriqu. Cajet. & Petrum Navarum videntes, hoc solum esse justum pretium seu stipendium, quod sententiam etsi sequi possit videatur Pastor, rectius tamen sequendo sententiam Suarezij, Vasquezij, & D. apud & cum P. Gobat, asserentium sufficere, quod à vicariis indigentibus, & DEVM timentibus dari ac peti solet. Illud tamen facilius concedendum est, minus dimidia parte sustentationis non permitti per consuetudinem in Germania præscriptam, quamvis Layman sacrificantem quandoque tertio parte contentum esse jubeat.

MEMBRUM V.

De Negotiatione.

Qu. 1. *Quid de hac Negotiatione potissimum sciendum sit Pastori?* R. præcipue tria. 1. Quid sit. 2. An, & quo modo prohibita. 3. Cur prohibita Pastoribus.

Qu. 2. *Quid sit Negotiatio?* R. cum Laymanno l. 3. tr. 4. c. 17. n. 37. & aliis, esse actionem, per quam merces eo animo emitur, ut carius postea distrahatur, lucri capiendi causâ. Duplex autem est hæc negotiatio, ut n. 39. & 40. idem Author docet. Primò, *proprie dicta*, per quam res integra & immutata lucri causâ venditur, uti plerumque Mercatores faciunt. Secundò, *improprie dicta*, per quam res empta, postea mutata & meliorata venditur, ut si ex hordeo cerevisia facta, porci aut boves ab Emptore saginati, aut equi parvi educati, lucri causâ vendantur.

Qu. 3. *An utraque hæc negotiatio prohibita sit Pastoribus?* R. etsi negotiatio per se non sit illicita; tum quia pretium pro mercibus expendi solitum laticudinem habet, ut ad eò pro infimo emi, & pro medio aut summo vendi queat; tum quia mercium pretia pro temporum & locorum varietate mutantur; quia tamen per accidens gravia secum incommoda trahit, idèò meritò in Jure Canonico passim Clericis & Religiosis interdicitur, nisi ratio necessitatis, si scilicet aliter se sustentare non possint, eos excuset; quo in casu, ait Glossa, posse Monachos (ex consequenti & Pastores) si propria prædia non sufficiant, conducere aliena, & inde perceptos fructus vel absumere, vel vendere, & tunc etiam à tributo seculari Principi tribui solito liberi esse debent, uti Gloss. in c. Negotiatorem dist. 88. habet.

Qu. 4. *Cur tanrope prohibita sit Pastoribus Negotiatio?* R. ob sequentes causas. Primò, quia negotiationis & omnium secularium negotiorum fuga plurimum conducit ad honestatem tum parandam, tum conservandam, uti Concilium Tridentinum Sess. 22. de ref. c. 1. dicit; ubi addit: *Imprimè autem omnis negotiatio seu mercatura, quæ est de rebus secularibus vilis & carius distrahendis, Clericis interdicitur; Negotiatores enim illi abominabiles existimantur, qui iustitiam DEI minimè considerantes per immoderatum pecunia abusu*
pollunt

polluunt merces suas, plus periuriis onerando, quam prius. Tales eiecit Dominus de templo, dicens Jo. 2. Nolite domum Patris mei facere domum negotiationis. Secundò, quia vocat & impedit ab officij pastoralis functionibus: uti Gelafius Papa indicavit, jubens tales à Clericalibus Officijs abstinere, utpote qui memores non sint illius, quod S. David Psal. 70. Quoniam non cognovi litteraturam (vel, ut alij interpretantur negotiationem) introibo in potentias Domini: neque illud, quod S. Paulus 2. Tim. 2. dixit: Nemo militans DEO multiplicat se negotiis secularibus. Nec denique, quod Christus Matth. 21. dixit: Domum DEI domum Orationis esse debere, & dici, ne per officia negotiationis potius sit spelunca Latronum. Hinc ut S. Augustinus ingeniosè advertit, rectè negotium dictum est, quia negat orium, quod malum est; neque quæ veram quietem, quæ DEUS est. Terriò, quia quatenus mendacijs & fraudibus occasionem subministrat, in peccati riculum inducit: nam, ut rectè dixit S. Leo 1. 3. off. c. 3. Difficile est, inter ementis & vendentis consortium non intrare peccatum: cuius veritatis clariorem rationem reddens S. Chrysostomus super Matth. hom. 38. sic ait: Quomodo enim, qui ambulat inter duos inimicos, volens ambobus placere, sine alloquio mali esse non potest, sed necesse est, ut aliquatur malè de illo, & illi malè de isto; sic Mercator sine peccato & peccato esse non potest.

Dubia moralia.

Qu. 1. An possit Pastor emptæ pecora, & in propriis parvis nutrita vendere; vel ex propriis fructibus confectam cerevisiam aut mustum divendere? R. affirmativè cum Laym. Barbosa & pluribus aliis; quia hæc negotiatio passim videntibus tolerantibus Episcopis à Pastoribus exercetur.

Qu. 2. An etiam minutim vendere vinum ex propriis collectum licitè queat? R. cum Barbosa de off. Paroch. c. n. 47. posse eum id facere, modò cum advertentijs per Episcopum præscriptis, prout Aversano Episcopo Sacra Congregatio Anno 1593. 5. Maij rescripsit.

Qu. 3. An si aliquas res in proprium usum emit absque intentione revendendi, easque ob diminutionem familie, vel rationem superfluas, vel commodas non esse cognoscant,

possit iterum vendere? R. affirmative cum S. Thoma 2. 2. qu. 77. a. 4. quia hoc potius spectat ad œconomicam gubernationem, quæ etiam personis Ecclesiasticis commendatur ab Apostolo 1. Tim. 3. & 5.

Qu. 4. An saltem per alium possit licitè exercere negotiationem propriè dictam v. g. tradendo Laico pecunias, vel societatem cum illo ineundo, ut is solus negotietur, & partem lucri ipse quoque percipiat? R. etsi non desint plures Auctores negantes, licitè id fieri posse: rectè tamen Barbosa l. c. n. 43. cum plurimis à se citatis distinguit, atque contrariam sententiam veram quidem esse, si Pastor id præcisè ob quæstum faceret; secus autem, si per modum liciti artificij exerceretur negotiatio, & nullum avaritiæ aut ambitionis periculum notaretur.

M E M B R U M VI.

De Censibus, Hereditatibus, & Donationibus.

Dubia moralia.

Qu. 1. An licitum sit Pastori pecunias superfluas ad census elocare, & consuetum ex ijs lucrum percipere? R. cum contractus talis per se licitus & honestus sit, & aliunde non habeatur manifesta prohibitio; imò usus sat frequens ab Episcopis toleratus id confirmet, non apparet, cur Pastor illicitè id facere dicatur; secus foret, si solius avaritiæ causâ id faceret, & interea consueta charitatis & misericordiæ opera erga pauperes exercere omitteret.

Qu. 2. An licitè possit pradia & alia bona per hereditatem obvenientia possidere, eaque iterum aliis elocare? R. affirmative cum Laym. cum ut sic non dicatur propriè negotiationem exercere, nec contra honestatem sit, bona à Majoribus obtenta conservare vel augere, ut ad bonos & licitos usus ipsi deserviant.

Qu. 3. An donationes licitè à suis Parochianis accipiat Pastor? R. etsi permitti possit, ut exigua munera, quæ interdum ex consuetudine certis temporibus ad contestandum affectum & amorem erga Pastorem à Parochianis offerri solent, acceptentur; extra tamen hunc casum semper suadendum est, ut Pastor sententiæ ab Ecclesiastico c. 20. prolatae memor sit, quâ dicit: *Xenia & dona excitant oculos iudicium,*
& quasi

& quasi murus in ore avertit correctionem eorum. Potius ergo juxta Salomonis c. 33. consilium, sit manus ad dandum cuncta, quam ad accipiendum porrecta, ut experiri mereatur quod Isaias c. 33. dixit: *Qui excutit manus suas ab omni opere, iste in excelsis habitabit.*

Qu. 4. *An de redditibus ex Beneficio acquisitis disponere prohibetur, & etiam testari possit?* R. primo, non deesse quidem probatos Auctores, qui contendunt, illum verum dominum bonorum non tantum patrimonialium, & quasi patrimonialium, sed etiam eorum, quæ ex Beneficij redditibus possidentur, & ad necessariam sustentationem non requiruntur, possidere, uti apud Laym. l. 4. rr. 2. c. 3. n. 3. videre est: nihilominus tamen rectè fatentur eisdem, non posse illum pro libito de redditibus bonis disponere, sed juxta præscriptum Ecclesiæ & Canonum debere in pios usus (id est, in templorum cultum, necessitatem pauperum, usum Religiosorum, Schollas, Missas, Suffragia pro Defunctis, Hospitalia, & prodochia &c.) expendere. R. 2. certum esse, quod, spectato modo præcisè Jus Canonicum, Pastor talis testari de redditibus Beneficij sui, etiam in pias causas non possit; imò Laymanus multos citans etiam ex consuetudine, id eos non posse contendit; quia tamen multi probati Auctores docent, consuetudinem illam, quæ in multis Regionibus Germaniæ conceditur Pastoribus, ut in pias causas testari possint, laudabilem & honestam esse, non posset omnino damnari Pastor, qui eam consuetudinem sequeretur, præcipue, si consensus Episcopi accederet; etsi negari non possit, rectè facturum, si Canonibus Ecclesiæ se accommodans, in potius sua bona in pios usus, quam in morte per testamentum expendere.

Qu. 5. *An si Pastor prius, quam Beneficium acquireret, varia debita contraxit, possit ea per proventus Ecclesiasticos solvere?* R. non deesse quidem aliquos, qui id affirmant, ut Lugonem d. 4. n. 67. sed rectius ipsum distinguere cum Anton. Sanchez & pluribus alijs, & concedere quidem, debita non sint contracta ex profanis usibus, vel Pastor aliter non habeat ex proprijs bonis, ex quibus solvere queat: sed verò omnino negare.

Qu. 6. *An etiam Consanguineis suis tantum dare possit?*

quantum sufficit ad status elevationem? R. etiam hoc Lugo-
nem l. c. n. 70. cum multis contra Vasqu. & alios probabilius
concedere, adderéque, quòd etiam perpetuos redditus fun-
dare possit ad hoc, ut non ipsi tantum, sed Posterì etiam eorum
decenter vivere possint.

§. IV.

De Recreationibus Pastoris.

Etiam hæc ad media corporalia Pastoris meritò revocan-
tur, cum vires intenso arcui similes perinde frangantur, nisi
sua illis subinde remissio concedatur: Verum ne remissio ista
in omnimodam dissolutionem cedat, seriò oportet vigilare;
quare videndum modò, quæ recreationes licitæ vel illicitæ
Pastori debeant censerì.

Qu. 1. *Qualis recreatio à Pastore instituenda sit?* R. ta-
lem, quæ sequentes proprietates habeat: & primò quidem sit
honestæ; nam quæ honestati contraria sunt, ab omnibus qui-
dem, sed præcipuè Pastoribus studiosè sunt vitanda. Secun-
dò, *moderata*, id est, ut neque quoad temporis diurni-
tatem; neque quoad materiæ in ludo v. g. expositæ, aut in re-
fectione usurpatæ quantitatem; neque quoad intentionis,
affectionisque qualitatem notabilis fiat excessus. Tertiò,
congrua seu *conueniens* personæ, loco, & tempori, & fini, quas
quidem tres conditiones S. Thomas ad licitam recreationem
requirit, teste Dionysio Richelio a. 9. de vita Can. & Ecclef.
Ex quibus patet moderatam deambulationem in area, horto,
vel campo, aut confabulationem honestam cum domesticis
aut externis, aut instrumenti cujusdam musici temperatum
usum, aut denique ludi alicujus liciti, animùmque nimia at-
tentione non fatigantis tempestivum exercitium inter Pasto-
ris præcipuas recreationes numerari debere.

Qu. 2. *Quis finis specialis, præter generalem Divinae Gloriae
finem, Pastori præfixus esse debeat in eiusmodi recreationibus
usurpandis?* R. triplicem potissimum. Primò, *Sanctis Con-
servationem*, quam quidem tantò majore studio procurare
debet Pastor, quantò magis necessarium est instrumentum ad
omnes muneris sui functiones ritè peragendas; ad hanc au-
tem vel maximè conducere recreationem, quotidianâ expe-

rientiâ satis comprobatum est. Secundò, *animi remissionem*, quemadmodum arcus semper intensus, frangatur, ac ad ordinarias suas functiones, velut scopum attingendum inutilis fiat. Tertiò, *proximi adificationem*; quæ tum per & honesta colloquia, tum per virium restaurationem ad *bita Charitatis obsequia præstanda tantoperè necessarium procuratur.*

Dubia moralia.

Qu. 1. An alearum & chartarum ludus licitè à Pastore assumatur? R. etsi hic ludus à variis Conciliis, & novissimè etiâ à Tridentino Sess. 24. de refor. c. 12. sub gravibus poenis sit prohibitus, & ideo multi Doctores apud Narvium colligant, esse grave peccatum; bene tamen Less. & Ratum apud Laymannum l. 3. tr. 4. c. 21. n. 2. monere, hoc tempore, quo de antiquorum Canonum rigore per delictum derogatum videtur, Pastorem talem, si privatum & scandalum pro quantitate modica, spectato statu suo, & reatum tuum copiâ, & absque detrimento functionum suarum parochialium, chartis, rarò & moderatè, recreationis gratia daret, neque lex aut consuetudo Diœcesis obsistat (in hoc casu ipsum venialiter peccatum putant) nullius peccati damnari debere, cum talis ludus per dictas circumstantias consuetudinem satis cohonestatus videatur.

Qu. 2. An ludus Scacchi sive latruncolorum usurpationibus possit? R. cum Barbof. de off. Paroch. c. 6. n. 2. multis alijs apud ipsum citatis, per se quidem non esse lege prohibitum; sed tamen, quia vehemènti attentionem fatigat potius, quàm recreat, ordinariè Pastori per mentis labores multum defatigando non suadendum.

Qu. 3. An Venatio eisdem concessa sit? R. & hanc à Concilijs, & novissimè iterum à Tridentino Sess. 24. de refor. c. 11. severè esse prohibitam; ad cujus prohibitionis confirmationem proderit verba Nicolai Papæ artulise sequentis: *O miseram vitam hominum, & maximè sacerdotum, qui, dum lucrando Fidelibus debent insistere, canibus feris incumbunt, & quos capere oportet Homines, capiunt & bestias; qui, dum mortibus student animantium, vitam suam amittunt animarum. O infelicem vitam super...*

vitam, nam in quo quisque magis carnalis apparet, quam in tali vita? Venatorum enim vita nihil præter carnes sapit, in qua, dum quisque permansit, nunquam probatus est: nam, ut S. Hieronymus dixit, nunquam Venatorem legimus Sanctum, cuius dicti rationem esse putat Barbosa de off. Paroch. c. 6. n. 32. quia Venatores miserandam in animalibus exercendo carnificinam, multum inde sanguinariae crudelitatis assumunt, & sic mentem induunt ab omni pietate alienam: his tamen non obstantibus Venationem cum silentio & modestia, recreationis gratia licite interdum à tali Pastore exerceri, idem Auctor cum pluribus à se citatis concedit, quod à fortiori locum habet, si in tali venatione Spectator tantum assistat, ut Principes faciunt.

Qu. 4. An piscatio & aucupium quoque licite à Pastore exercentur? R. Barbosa l. 2. c. 36. de piscatione dubium esse non posse, cum ipsi Apostoli exercuerint, modò illa diebus festis non suscipiatur, neque assidue exercentur: non enim Apostoli, inquit citatus Auctor, assidue vacabant piscationi, sed relictis retibus secuti sunt Christum. Idem de aucupio dicendum videtur, maximè si sine sclopetis capiantur aves: nam armorum usus passim in Jure Canonico Cap. Clerici. 2. de vita & honestate Cleric. Clericis prohibetur, cum eorum arma, orationes & lachrymæ esse debeant. Quòd, si verò interdum Pastores sine scrupulo ejusmodi sclopetis uti videantur, id per tolerantiam & dissimulationem potius, quam per approbationem fieri censendum est.

§. V.

De Incitamentis Pastoris.

Qu. 1. Quibus incitamentis excitare se debeat Pastor ad functiones pastorales rectè & alacriter obeundas? R. ea bene & breviter explicasse Concionatorem illum, qui in primitiis Neomystæ cujusdam eidem nomine Auditorum pro honorario & nuptiali munere ovem auream à triplici funiculo eidem aureo dependentem obtulit; per ovem quidem significans potissimum Pastoris officium, quod est, oves suas pascere & custodire; per triplicem verò funiculum triplex incitamentum, quo potissimum Pastor Zelum Pastorem in se excitare debet, scilicet amorem DEI, Proximi, & sui ipsius.

R. 2.

Qu. 2.

Qu. 2. *Quomodo per amorem DEI excitare se debeat?* Ita ut Parochianos suos velut oves cælestis Pastoris considerans, certò sibi persuadeat, quantum dilectionis illis impenderit, tantum se ipsi DEO exhibere juxta illud Christi verbum, Matth. 25. *Quamdiu fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis.* Hinc meritò imaginari potest Pastor, Christum ad S. Petrum Jo. 21. olim prolatis verbis se alloquentem: *Pastor, diligis me?* & si quidem affirmet, subjicientem: *Pasce agnos meos*, id est, teneram adolescentiam tibi concredendam quia ab illius bonâ instructione salus ejus potissimum dependet: Cùm Salomone teste Prov. 22. adolescens juxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedat ab ea. Deinde recedentem quærentem: *Pastor, amas me?* dumque ipse iterum responderit: *Domine, tu scis, quia amo te*, subjicientem: *Pasce meos*, id est, ipsam etiam paulò adultiorem juventutem tuam commissam. Et tandem tertio quærentem: *Pastor, me?* & si responderit: *Domine, tu scis, quia amo te*, iterum subjicientem: *Pasce oves meas*, id est, Conjuges, quæ velut agnos pariuat, & generant. Quò ergo fidelius hanc provisionem impleverit, tantò abundantius se DEUM dilectum & ab eo vicissim dilectum iri certò sibi persuadeat.

Qu. 3. *Quomodo se per amorem Proximi excitare debeat?* si meminerit, quàm pretiosæ oves sibi commissas, quam quidem præstantiam ex triplici testimonio colligere poterit. Primò, *ex confessione ipsius demonis*, qui, ut olim Brigitta vidit, in judicio quæsitus, cur animas cum tantâ attentione accusaret, sibi que adjudicari peteret? falsis etiam majore impetu ferri in perniciem earum, quàm torrens lentus cursum suum peragat; iterumque interrogatus, quid faceret? respondit. *Quia tu illas tantopere amas.* Secundo *ex Sanctorum testimonio*; nam, ut B. Furseo Angeli olim dixerant, unicam in Cælo tristitiam Beatis nasci de peccatis animarum; & quid mirum? si enim S. Catharina in vitam etiamnum existens, visa semel animæ pulchritudine, calcata est terram Operariorum pedibus calcatam; si S. Dominicus in frustra secari: si Moyses de libro Vitæ deleri: si Christus anathema pro suis ovibus fieri voluit, quid mirum nunc in cælis, ubi cognitionem innumeris partibus circumferrem de præstantia animæ nacti sunt, tantam de ea æstimare?

nem conceperint. Tertiò, ex Christi testimonio, quis enim, si consideret, quanta is egerit, & passus sit, etiam pro quavis anima seorsim accepta, non summum inde pretium colligat? Hinc rectè S. Ludgardi vulnera ostendens dixit: Vide filia, quomodo hæc vulnera clament, & efflagitent, ne finas ea me frustra pro peccatoribus obtulisse, sed lachrymis & afflictionibus corporis offensum Patrem placare studeas. Breuiter & nervosè complexus est hæc omnia S. Gregorius Nazianzenus orat. 1. dicens: *Huc magna lex tendit: huc inter Christum & legem interiecti Propheta: huc spiritualis legis perfectior & finis Christus: huc exinanita Deitas: huc assumpta caro: huc nova illa mixtio, DEVS, inquam, & homo, atque hæc omnia propter omnia, & pro uno illo generis nostri principio in unum coierunt. Quid multis? sic DEUS dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, & quid in mundo, nisi id, propter quod factus est mundus?*

Qu. 4. *Quomodo per amorem sui ipsius ordinatum excitare se debeat Pastor?* R. si certò sibi persuadeat, curam animarum, quam sedulò gesserit, esse optimum & efficacissimum medium ad salutem & Beatitudinem, certius, abundantius, & citius consequendam. Et primò quidem eam certius consequetur, quia, si Christus Luc. 6. dixit: *Qua mensurâ mensi fueritis, eandem remetietur vobis*: cur optimam de salute sua spem non concipiat, si meminerit, se tot animarum salutem tam sedulò procurâsse, & hoc ipsum beneficium Christum, non aliter, ac si sibi ipsi collatum fuisset, accepturum & remuneraturum? Sed & secundò citius consequetur, transcendendo ad illam sine omni aut longo certè purgatorio; si enim Confessarius ille, de quo Joannes major in magno speculo exemplorum V. Confessio. ex. 18. refert, ob confessiones pauperum libenter auditas, non modò misericordiam in extremo agone consecutus est, sed inter brevissimum etiam tempus per orationes & lachrymas suorum pœnitentium liberatus est; quidni eandem & majorem gratiam speret Pastor, qui non confessiones modò suorum Parochianorum cum magna charitate excepit, sed alia etiam multa dilectionis Christianæ officia consimili promptitudine exhibuit? *Abundantiùs denique tertiò consequetur, quia si in hoc etiam mundo, quanto digniora sunt officia, tanto majus quoque salarium offerri solet;*

folet; quantam mercedem à liberalissimo DEO acceptam olim est Pastor, qui officium officiorum omnium divinum cum magna sedulitate Zeloque administravit: olim Rex Ægypti Gen. 47. postquam auditus est a Pharaone Pastores esse, dixit Josepho: *in optimo loco fac eis habitare, & trade eis terram Gessen*: Quanto magis DEVS cum veritate olim in iudicio dicere poterunt: Pastores sumus, & fuimus: in optimo cælestis Gessen loco habitaverimus: si ergo Jacobo Patriarchæ tot anni in custodia pascentis ovibus consumpti, pauci videbantur præsertim ergo Rachelem magnitudine, & quia certum ovium numerum ei promisit Laban, ut Gen. 29. c. legitur; quomodo omnem laborem & difficultates leves putabit Pastor, qui minuit, sibi fruitionem pulcherrimam Divinitatis, & præteritum præstantissimarum lucrum pro ijs promissum est: quàm inexplicabile gaudium olim percipiet Pastor, qui estu tot animarum in DEO exultantium, suoque laboribus deductarum, ideòque summas Liberatori & Benefactori gratias per totam æternitatem persolventium.

§. VI.

De Periculis à Pastore fugiendis.

Qu. 1. *Qua pericula maximè Pastori fugienda sunt?* Respondetur præcipuè. Primò *otium*; quia docet omnem malitiam, secundò *luxuriam*; quia affert summam infamiam. Tertio *avaritiam*; quia tollit Pastoris Gloriam, quæ in eo consistit ut dici de eo possit, quod olim de tribu Levi Deut. c. 10. statutum est, quòd scilicet non habuerit partem (id est, possessiones) cum Fratribus suis, quia ipse Dominus pars ejus erat.

Qu. 2. *Qua media ad otium proscribendum adhibenda sunt?* Respondetur sequentia. Primò, *magnam temporis æstimationem*, utpote quo juxta SS. Patres nihil est pretiosius, & irreparabilius: à Pastore autem tantò magis æstimandum, & diligentius custodiri debet, quantò præstantiores sunt Pastoralis functiones, pro quibus perficiendis tantum tempus illi concessum est, ut adeò præ aliis saluberrimè ecclesiastici cap. 14. sententiam in mente habere debent.

defrauderis à die bono, & particula boni doni non te praterat. Secundò, *aptam diei divisionem*, ut enim olim Carolus Quintus urbem quampiam ingressus, ante omnia horologium aspexit, & si quidem id ordinatè horas designare advertit, optimum de talis urbis regimine omen concepit; pessimum verò, si minùs ordinatè compositum notavit; ita sanè optimum, de Pastoralis regimine iudicium formari potest, quando advertitur, sua cuique functioni tempora & assignata fuisse sollicitè, & studiosè observari. Tertio, *Gratiam actionum varietatem*, ut olim Angelus D. Antonium, cum solitudinis tædium propemodum ipsum de constantia deturbasset, modò Orationi, modò labori, modò lectioni aut refectioni vacans docuit, nimirum ut varietas mirè delectat, ita nihil æquè fatigat, quàm actionum semper redeuntium fastidiosa repetitio.

Qu. 3. *Qua remedia pro Luxuria cavenda adhibere debeat Pastor?* R. etiam hîc tria sufficient, quæ quasi specialia à Sacerdotali suo statu ipsi offeruntur. Primò, *assidua recordatio Beneficij per quotidianam Corporis Christi sumptionem concessi*; ratione hujus enim, cum una eum Christo caro efficiatur, meritò cavere debet, ne per luxuriæ sordes corpus suum commaculet, sed potius illud S. Pauli 1. Cor. 6. semper in animo habeat; *Nescitis, quoniam corpora vestra, membra sunt Christi; tollens ergo membrum Christi, faciam membra meretricis; absit. Qui adharet meretrici, unum corpus efficitur. Qui autem adharet Domino, unus Spiritus est. Fugite ergo fornicationem, glorificate & portate DEVM in corpore vestro per accuratam castimoniam custodiam.* Secundò, *assidua recordatio necessitatis*, quâ Pastor quotidie ferè sanctissimum Christi Corpus sumere debet, quod quotidianam meritò, eamque singularem præparationem exigit, qualis inter cæteras utique censeri debet, incontaminati corporis studium; si enim jam olim Davidi 1. Reg. 21. panes propositionis comesturo conditio illa apponebatur, *si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus*; si hoc etiam tempore, qui paulò majorem Religionis & decentiæ rationem habent, accessuri ad hoc divinissimum convivium, à licito etiam connubij usu abstinere; quantò magis Pastor Angelicum panem sumpturus, & ad convivium immaculati Agni accessurus, ab omni

illicita corporis pollutione abstinere debet? Tertio, *dua recordatio Spiritus Sancti*, qui, si ulli, Pastori necessarius est, ad functiones suas ritè & fructuosè obeundas, uti vel Christus clarè ostendit, dum nec priùs proximi salutem procurandam suscepit, quàm Spiritus Sanctus supra illum descenderet; nec Apostolos etiam ad similem finem dimisit, donec virtute ejusdem Divinissimi Spiritus ex alto induerentur, qui non permanebit Spiritus iste in Pastore, qui caro est: ideo neque opus Incarnationis Dominicæ perficere poterit nisi in Virgine ab omni concupiscentia carnis liberata, quantò minùs ergo cum Pastore, cujus officium est, pariter cum S. Paulo suos Parochianos, donec Christus in ipso inveniatur, concurret ad opus hoc Incarnationis Spiritualem perficiendum, nisi Virgineam, aut certè mundam in eo carnem repererit. Accedit, quòd ad eandem Divinissimi Spiritus gratiam, tum pro se, tum pro alijs obtinendam, frequenter ad DEVM Oratio facienda sit; unde novus iterum, minùs potens titulus ad castitatem summo studio sectandam exurgit: si enim jam olim S. Apostolus 1. Cor. 7. Fratres suasit, ut ad tempus sese contineant, ut vacent Orationibus; DEVS ipse Israëlitas Exod. 19. ad colloquium admittendum præcepit, ut vestimenta sua lavarent, & uxoribus suis non appropinquarent; an non Pastor, qui velut Mediator inter DEVM & homines constitutus, perpetuum cum DEO commercium habere, & ideo, ut S. Dionysius Epist. 8. loquitur, simillimus DEO esse debet, summam castitatem, quæ homines ad dictam similitudinem vel maximè elevat, servare constantè conabitur?

Qu. 4. *Quibus medijs ad avaritiam fugiendam uti debet Pastor?* R. sequentibus, quæ similiter velut specialia illius clericale officium offert. Primùm est *assidua recordatio clericatus dignitatis*, cujus quidè initium à racione capitis, & coronatione factum est, ut scilicet meminerit Clericus, se per se scissionem omnis inordinatæ cupiditatis erga divitias, illud regnum, quod, teste Christo Luc. 17. intra nos est, à quo rectè dixit non nemo: *Rex est, qui metuit nihil: Rex quoque cupit nihil: hoc regnum sibi quisque dat: evertit quoque hoc regnum sit illud regnum DEI*, quod Christus Matth. 6. primum quæri jussit, & quod quærentibus

necessaria ad victum & amictum promisit. Alterum medium est *assidua recordatio sacerdotalis dignitatis*, quæ haud dubiè etiam efficiet, ut Pastor hoc vitium tanquam Statui suo summè probrosam, summè quoque detestetur; cum enim Sacerdos summi DEI per consecrationem constitutus sit, facile apparet, quantam injuriam DEO & Ecclesiæ faceret, si Beneficij tanti immemor relicto DEO, per avaritiam, quæ teste Apostolo Eph. 5. est idolorum servitus, mammonæ sacrificaret. Accedit, quòd, sicut olim Sacerdotum & Levitarum possessio DEUS erat, ita idiptum Sacerdotes Novi Testamenti tantò magis de se quoque credere debeant, quantò præstantius est ipsorum, quàm antiquorum Sacerdotum Sacerdotiù; si autem ipse DEUS in possessionem se illis offert, an non insignem injuriam illi iterù inferet, qui diffidens omnipotentis & fidelitati illius, ipse sibi per inordinatam divitiarum concupiscentiam providere satagit? an non meritò in talem quadrat illa S. Augustini in Psal. 30. Conc. 30. increpatio: *Avere, an parum tibi est, si te impleat (& nutriat) Ipse DEVS? DEVS si ad te veniat sine auro & argento, non vis illum? quid tibi de his, qua fecit DEVS, sufficit, si DEVS ipse non sufficit?* Tertium medium est *assidua pastoralis dignitatis recordatio*; an non hinc iterum novos Spiritus concipiet ad avaritiæ vitium totis viribus detestandum & fugiendum? an non juxta S. Davidis Psal. 54. consilium jactabit super Dominum curam suam, & ab ipso enutrietur? si enim DEUS de Bove triturante sollicitus, os illi alligari non permisit, si, teste Apostolo 1. Cor. 9. dignus est Operarius mercede sua; si æquum est, ut, qui plantat vineam, de fructu ejus comedat; ut, qui gregem pascit, de lacte ejus manducet; ut qui Altari servit, de Altari participet; an DEUS Pastori Verbum DEI tam sollicitè explicanti, in vinea ejus tam strenuè laboranti, Oves à Christo commissas tam accuratè custodienti & pascenti, altari tam constanter & diligenter servienti, necessaria deesse patietur? si illis, qui regnum DEI, & justitiam ejus quærunt, omnia ad corporis curam pertinentia adjectum iri promisit, an illis, qui alios ad dictum regnum & justitiam quærendam exhortantur, & juvant, non eadem ministrabit? si turbas olim se sequentes ad audiendum Verbum suum tam liberaliter pavit, an Pastorem idem Verbum explicantem non pascet? si

Apostolis à se vocatis tam sollicitè de necessariis provisum, ut fateri ipsimet debuerint, nihil, quamdiu cum ipso erat sibi defuisse, an Pastorem simili vocatione ad simile munus vocatum non simili quoque liberalitate & charitate commisit, an non ergo injuriam insignem DEO Pastor faceret, si tantis tuis ad fiduciam in ipso ponendam invitatus diffideret, & incerto divitiarum spem suam collocare præsumeret?

§. VII.

De industriis à Pastore adhibendis.

Qu. 1. *Qua industria à Pastore sint adhibenda, ut munere suo fungatur?* R. potissimum sequentes usurpationes esse, scilicet *sedulam inquisitionem, crebram consultationem, & accuratam annotationem*, quarum prima facit, ut agenda aut emendanda sunt, intelligat: Secunda, ut procedat, & fraudes vel errores facilius vitet: Tertia, contra obrectatores efficacius se defendat, faciliusque superioribus suis rerum à se gestarum rationem reddat.

Qu. 2. *Quid circa ipsam Inquisitionem observandum sit?* R. has præcipue conditiones. Primò, ut sit *iusta*, quæ erit, si in ea duntaxat, quæ ad officium suum directè vel indirectè pertinent, inquiret, nempe primò & ante omnia in proprias actiones, tum per frequentes recollectiones, tum accuratum usum examinis tam particularis, quam universalis; imò illius etiam, quantum fieri potest, quod singulis actionibus postponi solet: deinde in vitia communia & periculosa toti communitati: hæc enim, cum sint velut apertæ mata, quæ totum corpus in manifestum interitus periculum præcipitant, meritò à Pastore inquireri & cognosci debent, maturè curationem tentare possit; denique in necessitate morbos, aliàsque afflictiones Parochianorum, ut quantum ipso erit, in his etiam solatium, & auxilium præstet. In contrariò verò studiosè cavere debet, ne in ea, quæ in periculis, inter Conjuges circa administrationem familiarum, Magistratu in administratione Reipublicæ, aut etiam in Parochiam suam in aliis urbibus, provinciis, & regnis curiosè inquiret, nisi manifesta utilitas, cujus procuratio ipsum quodammodo officium illius redundet, appareat. In eundò, ut sit *discreta*, id est, ut cum debita cautela, & circumspecte

specificatione instituat, ne aut ijs, de quibus; aut ijs, per quos inquitur; aut ulli alteri præjudicium aliquod aut offensio oriatur. Tertiò, ut sit *sincera*, id est, non ex curiositate tantum, aut alio inordinato affectu; sed ex solo gloriæ Divinæ, & salutis alienæ promovendæ motivo concepta.

Qu. 3. *Quid circa consultationem sit observandum?* R. primò, ut sit *crebra*, id est, ut in plerisque gravioribus causis & dubijs, vel cum Moysè ad DEVM, vel ad Viros doctos, Sapientes & Religiosos recurrere consuescat. Secundò, ut sit *humilis*, id est, ut non tantum libenter aliorum consilium aut decisionem audiat, sed insuper etiam iudicium suum (præcipuè ubi Superior consulitur) cum humilitate subijciens, eidem prompta cum voluntate acquiescat, vel certè non sine gravi ratione ab eo discedat. Tertiò, ut sit *reverens & veneranda*, id est, ut non de rebus & negotiis minimis, quas ipse facillè decidere posset, & deberet, aut inanibus scrupulis statim ad Superiores aut Viros graves recurrat; hoc enim merito reverentia talibus personis debita, & verò etiam auctoritatis propriæ retinendæ moderatum studium verant.

Qu. 4. *Quid circa annotationem observandum sit?* R. primò, ut *festina* sit, id est, quæ annotanda sunt, non diu nimis differantur, ne, quod in humana fragilitate fieri pronum est, è memoria tandem elabatur, non sine grandi sæpe aliorum præjudicio, maximè quando de tempore Baptismi aut Confirmationis susceptæ agitur. Secundò, ut *ordinata* sit, id est, ut non in libris duntaxat, in quibus quæque annotanda sunt, distinctio in Ritualibus præscripta observetur, sed ipsorum etiam nominum aut rerum, quò faciliùs reperiri quæque possint, accuratus Index in fine libri subjungatur. Tertiò, ut *accurata* sit, id est, ut non substantia duntaxat cujusvis rei, sed circumstantiæ etiam personarum, locorum, temporum distinctè & studiosè annotentur, ut nihil desiderare possit, qui perfectam alicujus rei in libro annotatæ cognitionem habere cupit. Quòd si verò, ut fieri interdum solet, & debet, testimoniorum vel facultatum aliunde acceptorum chartæ fuerint acceptæ, eæ cum debito ordine & distinctiōne, annotato forinsecus titulo, ex quo statim cognoscantur, in diversos fasciculos colligatæ separatim asserventur, ut, si opus foret, rationem actionum suarum reddituro, aut testimonium alicujus Sacramenti suscepti laturo servire queant.